



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

179. An Pyxis, in qua reponitur Euchristia, necessaria sit benedicenda? Et
quid dicendum est de Sphæra, seu Luna, in qua reponitur Hostia publicè
ad populum, & de Festicula argentea, in qua Summus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

etur, & destinentur ab Ecclesia ad retinendas Sacras species in Sacrificio Missæ; non tamen ex eorum contactu habentur ab Ecclesia pro Reliquiis, vt ex contactu physico Corporis Christi habentur Crux, Spina, Lancea, & alia instrumenta Passionis. Ad factum verò Leonis Papæ quod adducit P. Hurtadus, respondeo quod de illo nimis dubito; nam quo pacto est credendum Sanctum Pontificem dedisse pro consecratione Altaris partem Hostiæ Sacræ; nam sententia Durandi, *lib. 1. Rational. diuin. officior. c. 7. n. 21.* & Ioannis Andree in *cap. Placuit. de consecrat. disp. 1.* afferentium, loco Reliquiarum particulam hostiæ consecratæ apponi in Ara posse, sustinenda non est, sed omnino reprobanda. Est enim contra reuerentiam debitam Sacramento illud corruptioni exponere, atque ita relato Panormit. docet Vasq. *disp. 233. cap. 2. n. 17.* Egidius de Coninch. *q. 83. art. 3. dub. 2. num. 242.* Suarez *disp. 8. sect. 5.* Emanuel Sà, *verb. Abitare in sine. Cardinalis Lugo de sacr. disput. 20. sect. 3. n. 75.* Castrus Palau *tom. 4. disp. 22. punct. 9. n. 5.* Fagundes *præcept. 1. lib. 3. c. 22. n. 6.* Dicaillus *de sacr. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 9. n. 147.* & idem vt dixi non est credendum D. Leonem id fecisse. Vnde sicut tale factum in ordine ad particulam Hostiæ suspectum, & apocryphum redditur, etiam redditur suspectum in ordine ad Corporale: & quidem in tanta Reliquiarum multitudine, quæ Romæ extabat, nescio qua ratione loco earum D. Leo pauerit, vel voluerit frustulum Corporalis mittere.

4. Non deseram tamen in fauorem Patris Hurtadi hic obseruare, Patrem Franciscum Lugo de *Sacr. lib. 5. cap. 7. q. 1. n. 13.* admittere, Leonem Pontificem misisse pro consecrandæ Ecclesiæ frustulum Corporalis loco Reliquiarum. Et hanc sententiam tanquæ probabilem admittit P. Amicus in *curf. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. n. 349.* vbi sic asserit: Refert Syluester ex Panormitano quod Leo Papa deficientibus Reliquiis posuerit partem Corporalis, & Eucharistiæ in consecratione cuiusdam Ecclesiæ. Sed hæc sententia sicut de parte Corporalis probabilis est, ita de parte Eucharistiæ omnino absurda, & indigna. Ita ille. Sed ego, vt dixi, nimis dubito de facto illo Leonis Papæ quod sit apocryphum, non solum ex eo quod dicitur Pontificem illum misisse pro consecratione Ecclesiæ partem Hostiæ, quod ipse Amicus fatetur esse absurdum, & indignum; sed etiam ex eo quod dicitur misisse partem Corporalis; nam quo pacto credendum est, vt vult Amicus, hoc Pontificem fecisse ex defectu Reliquiarum, quis credere potest tunc Romæ non extitisse Reliquias, vt Pontifex fuerit coactus, loco ipsarum, frustulum Corporalis mittere? Nisi forsitan aliquis dicat fuisse frustulum alicuius Corporalis miraculosi, quod tunc Romæ extabat, vt nunc plures extant in Italia, & Hispania.

5. Nota etiam hic obiter, Patrem Hurtadum vbi *suprà, cap. 2. res. 2. n. 22.* docere, quod pro communicando infirmo, ne decedat sine viatico, celebrare potest Sacerdos sine * vestibus Sacris, sine Altari, hoc est Ara consecrata, quia hæc, & similia requiruntur ex merò iure positivo. Sed pace viri docti, hoc in praxi non deducem per ea quæ docent Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 3. n. 41.* Io. Vviggers *de sacr. in 3. p. D. Thom. q. 83. dub. 14. n. 63.* Marchinus *de sacr. ordin. tr. 3. p. 3. cap. 14. n. 5.* Martinus de San Ioseph in *mon. confess. tom. 1. lib. 3. tr. 16. de Euchar. n. 14.* Gasias in *summa tr. 3. diff. 7. dub. 4. punct. 2. n. 22.* Et licet ego probabiliter teneam cum ipso Hurtado, posse Sacerdotem non ieiunium celebrare ad dandum Viaticum infirmo, in hanc tamen sententiam descendendo præter alias rationes, quia video Ecclesiam in multis casibus permittere ex iusta causa & necessitate Sacerdotes

* Pro diffic. de vestibus sacris contenta in hoc §. supra in Ref. 128. §. vlt. in sine, & in Ref. 132. §. 2. ad mediũ, vers. consuluit, & in Ref. 171. ad fin. 3. & infra in tr. 2. Ref. 67. §. 1. post mediũ, vers. quod ex eo, & inferius in tr. 4. Ref. 19. §. vlt. ad fin. 8. & in tom. 3. tr. 1. Ref. 3. Potest etiam tertio, & in Ref. 2. §. Sed pro: & in to. 1. tr. 3. Ref. 155. §. 1. & vlt. & pro Sacerdote non ieiunio contento in hoc §. in Ref. sol. 1. huius not. & in eodem §. in

non ieiunio licet celebrare. Sed non inuenio Ecclesiam vsque adhuc aliquo casu permittere Sacerdotem celebrare absque Vestibus, & absque Altari, & ego solum concederem ad vitandam mortem. Ergo

RESOL. CLXXIX.

An Pixis in qua reponitur Eucharistia necessaria sit benedicenda?
Et quid dicendum est de Sphæra, seu Luna, in qua reponitur Hostia publicè ad populum & de Felix argentea, in qua Summus Pontifex iunxit Sanguinem in Missa Papali?
Et docetur esse præceptum, vt Corporalis, Patena, Calix, & Ara debeant esse benedicta, aut consecrata.
Et cursum aduersus Pixidem non posse cum particulis in ea consecratis reponi in Tabernaculo, nisi post assumptionem sanguinis.
Et inferunt, quod vbi est eadem ratio dicitur ad aliam eadem legis dispositio non extensiuè, sed comprehensiuè
Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 3.

§. 1. Nouissimè mordicus affirmatiuè sententiam nominatim contra me tenet doctissimus P. Dicaillus de *Sacr. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 9. n. 193.* cuius sententiam sequuti sunt etiam ceteris hinc, vt Vviggers in *3. part. D. Thom. quest. 83. dub. 26. num. 76.* Amicus in *Cur. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. n. 349.* Marchantius in *Tribun. sacr. tract. 2. part. 2. tit. 4. q. 2. dub. 6.* Mercerus de *Sacram. quest. 83. art. 3. prop. 3. num. 5.* Leandrus de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 1. n. 10.* Reginaldus, *tom. 2. lib. 29. cap. 9. num. 281.* Gratianus in *3. part. contr. 6. tract. 14. disp. 12. num. 6.* Hurtadus de *Sacrificio Missæ, disp. 4. difficult. 10.* Ioan. de la Cruz in *Direct. Consc. de Sacrific. Missæ, quest. 3. dub. 3.* Leandrus in *Direct. Theol. part. 1. de Sacram. Euchar. cap. 10.* Gaunantius in *Rubr. Missali, part. 2. tit. 2. n. 3.* Iura cum aliis.

2. Et vt verum fatear, validis rationibus saltem hæc sententia. Nam Calix, & Patena cum Corporali ideo consecrantur, & benedicuntur, quia reponitur Corpus & Sanguinem Christi; vt patet ex D. Thoma in *3. p. quest. 82. art. 3.* Sed Pixis tangit etiam Corpus Christi; ergo debet benedici. Quia vbi est eadem ratio, debet etiam esse eadem iuris dispositio; vt patet ex *leg. Illud. ff. ad leg. Aquil. leg. Si postulare, ff. de edendo. l. Nauta, §. sin. ff. Naui. cap. leg. de Tiro. ff. de Furto, leg. Illud. Cod. de Sacros. Ecclesi. §. si igitur, ff. sit. quod cum eo. Glof. verbo, Italia, in cap. 1. de temp. ordin. lib. 6. Et vbi est eadem ratio, dicitur ad eandem legis dispositio, non extensiuè, sed comprehensiuè; ex *leg. His solis, vers. satis etiam caute præsumitur. Cod. de reuocandis donat. d. leg. Illud. Cod. de Sacros. Ecclesi. leg. Item veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. heredit. Tiraquellus in *leg. Si unquam, verbo libertus, num. 42.* §. 46. Rebuffus *ad leg. in lege consoria 203.* vers. Illud. que de seruis vers. Colligitur, ff. de verb. signif. p. 4. §. 647. Surdus, *decif. 276. num. 8.* Gurtierrez, *pract. lib. 3. quest. 17. num. 84. cum segg.* Gonzalez *ad Rep. 8. Cap. cell. §. 7. præem. num. 105.* Rectè itaque dixit Leandrus à San Iuan de *Sacram. Euchar. quest. 11. articulo 1. dub. 4. concl. 2.* [Et cierto auer precepto, de que los corporales, ara, y calix esten benedictos, ò consecrados: por que han de tocar el cuerpo de Iesu Christo Señor nuestro: luego si estos vasos (videlicet Pixis) se han de tocar, precepto ay tambien en el mismo decreto, que esten consecrados: de manera que, quando no ay precepto expreso ay lo virtual deduzido del expreso.] Ita ille.**

3. Nec obstat dicere cum Nugno in 3. part. q. 83. art. 3. dub. 4. ad 1. quod est dispar ratio inter Pixidem, Patenam, & Corporale; quoniam Corporale, & Patena, & manus Sacerdotis tangunt Corpus Christi in ipso Sacrificio. Nam respondeo primò cum Garcia in Summa Theol. mor. tr. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 2. num. 31. Que no tiene mas santidad el Sacramento in fieri, que in facto esse. Respondeo secundo, quod in Pixide non solum reponuntur, & conseruantur particule; sed etiam consecrantur in actu Sacrificij, vt consecratur vinum in Calice; quod patet ex vsu ordinario; reponunt enim supra Aram cum Calice, & Hostia, & omnia simul à Sacerdote consecrantur; & ideo Pixis non potest poni intra Tabernaculum, nisi post assumptum Sanguinem; quia omnes benedictiones, & cæremonie Sacerdotis cadunt sub particulis in ipsa contentis; sunt enim pars illius Sacrificij: ergo Pixis tangit Corpus Christi in ipsomet Sacrificio; ac ideo benedicta esse debet, vt Corporale. Vade corruit responsio Nugni; & si aliquid robur haberet, forsitan procederet in Fistula argentea, in qua Summus Pontifex sumit Sanguinem in Missa Papali, vel in Sphæra, seu Lunula; in qua reponitur Hostia publicè exponenda in ostensorio ad populù.

4. Sed instabis cum Tamburino Opusc. de Sacrificio Missæ lib. 1. cap. 1. §. 6. num. 2. esse non obstantibus supradictis, disparitatem rationis inter Calicem, & Pixidem; si quidem in Calice per se, & semper fit consecratio Sanguinis, in Pixide verò non nisi per accidens, si quando adsunt multe Particulæ consecrandæ: per se enim Corpus Christi in manibus Sacerdotum consecratur. Ergo non est mirum, si Calix sit consecrandus; & Pixis non benedicenda. Respondet hanc distinctionem in ordine ad reuerentiam debitam Eucharistiæ nullus est, qui non videat esse metaphysicam, sicque ex illa sequeretur neque Patenam, neque Corporale esse consecrandum, vel benedicendum; quia in ipsis per accidens Corpus Christi consecratur: nam, vt vult Tamburinus, Corpus Christi per se consecratur in manibus Sacerdotis: sed hoc dicere est absurdum: ergo, &c.

5. Et hæc dicta esse volo in fauorem amicissimi Patris Dicastilli cui ita addicim me esse profiteor; vt ad tuendas eius opiniones, meas impugnatè minime erubescam. Sed his non obstantibus, existimò contrariam sententiam, quam ego docui esse satis probabilem, & vt talem illam admittunt ipsius aduersarij, Dicastillus, & Amicus locis citatis; nam & illam absolutè præter DD. alibi à me citatos, & superius adductos, tenent Ioan. Præpositus in 3. part. quest. 83. art. 3. dub. 5. num. 171. & me citato Martinus de San Ioseph in Man. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 16. de Euch. n. 17. Castrus Palaus tom. 4. tract. 22. disp. unica, punct. 6. n. 7. Tamburinus vbi supra; quibus adde nouissimè Magistrum Serra in 3. part. q. 83. art. 3. dub. unico, asserentes, Pixidem non requiri ex necessitate esse consecratam, vel benedictam; quia nullibi cauetur; & præcepta imponenda non sunt absque firmo fundamento.

RESOL. CLXXX.

An intra Pixidem vbi Sacramentum seruetur, debeat permanere aliqua palla ex ligno consecrata, & benedicta?
Et an Pixis benedici debeat? Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 2.

§. 1. Affirmatiuè responderi Vasq. in 3. p. disp. 233. cap. 4. n. 36. vbi ait: Existimò ex consuetu-

dine necessarium, vt intra pixidem, in qua Sacramentum seruetur, sit vas aliquod ex lino, quod benedictione corporalis benedictum sit. Nam quoad celebratio Missæ durat, Corpus Christi semper esse debet supra pallam corporalem benedictam, quæ sintonem representat, qua Christi Corpus mortuum in sepulchro inuolutum fuit; ita etiam finita Missa quamdiu Corpus Christi seruetur. Hæc ille.

2. Sed hæc sententia mihi non placet, & consuetudo quam affert Vasquez est in contrarium. Ad argumentum verò respondetur ex Nugno in 3. part. tom. 1. q. 83. art. 3. dub. 5. in his rebus non valere argumentum à paritate rationis, est etiam differens ratio, quoniam corporale tangit Corpus Christi in ipsomet Sacrificio: vnde licet non sit sanctior consecratio Corporis Christi, quam ipsomet Corpus Consecratum, ac præsens perseverans. Tamen propter consuetudinem Sacramentum sunt necessaria vasa consecrata, non autem propter custodiendum. Ex his patet responsio ad illam questionem, an pixis; in qua Corpus Christi seruetur, benedici debeat. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 29. cap. 9. sect. 6. n. 201. Molles. in sum. tom. 1. tract. 3. c. 12. n. 55. Pet. de Ledesma in sum. tom. 1. de sacr. Euch. cap. 21. fol. mibi 150. affirmant, & in hanc sententiam videtur inclinare Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 13. q. 2. art. unico. cum aliis.

3. Sed in rigore mihi placet opinio negatiua, quam tuerentur, & docent Paludanus in 4. dist. 13. q. 1. art. 4. Tabienauer. Euch. n. 31. Syluest. eodem ver. 3. q. 4. Sotus in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. & ex neotericis Nugnus vbi sup. Azor. p. 1. lib. 10. c. 27. q. 7. Henric. lib. 9. cap. 8. & Vasquez loco citato vbi asserit, pixidem non esse benedicendam, eo quòd nullo iure id præcipiatur. Quòd verò in Pontificali pro illa peculiaris benedictio assignetur, non satis est, vt dicamus necessariò esse benedicendam. Nam & in Pontificali assignantur benedictiones pro aliis ornamentis Altaris, & pro vasis Reliquiarum, & pro campanis, quæ tamen omnia non semper benedicuntur.

RESOL. CLXXXI.

An si quis lauet Corporalia ante primam lotionem factam à Diacono, peccet venialiter? Ex part. 1. tr. 3. & Misc. 3. Ref. 16.

§. 1. Negatiuè responderi noster doctus Siculus P. Tamburinus opusc. de Sacram. Missæ l. 1. cap. 2. §. 2. n. 1. vbi sic ait: Certum est corporalia, purificatoria, & similia lauari saltem ex conuenientia debere à Diacono in vase ad hoc præparato, lotionemque mittendam esse in piscinam sacram, vel sacrarium, quòd, hic, nihil aliud est, nisi locus in pariete, seu sub terram defossus, & ab aliis profanis vasis separatus, in quem hæc lotio, & similia projici ob reuerentiam, solent.

2. Secundò. Notant autem communiter Doctores hoc intelligendum esse de prima lotionem; nam hac per Diaconum habita, possunt laici sine serupulo, & scemina, præsertim Sactæ Virgines, ea melius lauare, tergere, & resicere.

3. Tertio. Dubium ergo superest, at si laicus sine necessitate ea in prima lotionem lauet, peccet; & non peccari quidem mortaliter certum sit, quia non est materia grauis. Peccari autem venialiter multi supponunt, eo quia si ea tangere, ex ipsorum sententia, his non licet sub culpa veniali, multo magis non licebit lauare.

4. Verum probabile est, nec esse veniale, licet sit optimum consilium vt à Diacono, vel Subdiacono, vel

Sup. hæc diff. latè in Ref. præterita per tota, & eusdem in alio §. eius primè not.

Sup. hoc in Resol. not. seq. §. 1. ad medium, à vers. Eaque de causa.